



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Quinque Tomis Comprehensa ... ; Cum Triplici Indice

De Deo Atque De Ejus Possessione Cum Triplici Indice

Ulloa, Joannes de

Augustae Vindelicorum [u.a.], 1719

Caput XIII. Ultima tria noranda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81382](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81382)

malitiam : & cum sit idipsum quod DEUS detestatur, & prohibet, & propter quod hominem damnat. Deinde ad exempla ista, dico idem, quod nuper, Antecedenter ad scientiam absolutam, & conditionatam peccati nequit DEUS velle justificationem impii. Rursus nequè adhuc post scientiam conditionatam, si volitio justificationis non purificet conditionem, sub qua prævidetur peccatum; secus si purificet: absquè omni namquè amore peccati, potest DEUS se gerere sic: *Volo conferre Petro libertatem A, & quia sub ea peccabit, misericordia motus, volo ipsum justificare in instanti sequenti.* Ubi illud *quia* non significat titulum, sed motivum in genere causæ meritoria, ut patet, sed in genere indigentia, atquè calamitatis, sicut quando dicimus, volo dare tibi eleemosynam, quia es Pauper. Quod attinet ad amorem, qui est affectus simplex præscindens per se ab existentia sui objecti, dico: DEUM amare oppositionem suæ legis cum peccato, non verò peccatum; aut hujus oppositionem cum illa: quia denominatio convenit quidem eis, quæ veniunt in recto, sed non semper eis, quæ in obliquo, ut exemplis obviis probari potest. At in oppositione legis cum peccato, lex venit in recto, peccatum in obliquo. E converso in oppositione peccati cum lege; Ergo ex eo, quod DEUS amet primam; non sequitur amare peccatum, aut oppositionem hujus cum lege; nec ex eo, quod oderit hanc oppositionem, sequitur, quod oderit primam, & exemplum habes in marito Uxoris, & Uxore mariti, ubi prædicata non valent ad convertentiam. De mente autem sancti Augustini his super rebus disputabo per otium proprio in loco, ubi Catholicum suum systema contra Pelagium exponam.

CAPUT XIII.

Ultima Tria notanda.

CCXLV. **U**T prædicatæ totius doctrinæ systema capiat, Tria hæc ultimo loco notanda tibi propono. Primum Altè insedit, ut videtur adversariorum mentibus hanc vocem *gratia* (monui sæpissimè non loqui me, nisi fortè aliquando transeunter, de

Gratia, auxilio, aut inspiratione supernaturali ad opus salutare; sed de entitativè naturali ad opus naturale moraliter honestum) hanc inquam vocem *Gratia* sive, *inspiratio efficax ad opus liberum positivè honestum*, sed merè naturale, significare unam solam rem, & inspirationem efficacem esse solam, & meram entitatem inspirationis divinæ, quæ dicitur efficax. Similiter respectivè de inspiratione inefficace, similiter de merè sufficiente. Hæc imaginatione supposita non miror, quod sæpè labantur, judicia quippè nostra plerumquè sequuntur primas apprehensiones; hæc omnino est eripienda illis, quia non debent supponere id, de quo est quæstio, quodquè à nobis negatur. Inculcarique illis debet hanc vocem, *inspiratio efficax*, non significare apud nos solam entitatem inspirationis, (nisi addatur *specificativè, ac secundum se præcisè*) sed complexum ex illa entitate, & ex bono illius inspirationis usu, sed ex prævisione conditionata hujus boni usus. Sicut hæc vox *album* frequenter non significat solum subiectum, sed illud & formam etiam, quæ est album; Et hæc vox *cœxistentia* non significat unam solam existentiam sed duas; similiter hæc vox *inspiratio inefficax*, sive, *merè sufficienti* significat complexum ex entitate inspirationis, & ex prævisione conditionata mali usus. Ad abigendum autem æquivocationem inter disputandum, oportet uti distinctione inter inspirationem efficacem reduplicativè, ut efficacem, & inspirationem efficacem specificativè sumptam. Cumquè inspiratio reduplicativè, ut efficax, constituatur per duas res dictas, quæ aded diversæ sunt, mirum non est, quod de inspiratione efficace reduplicativè, ut efficace, enunciantur prædicata valdè diversa: Una, secundum unum constitutum, altera, secundum alterum. Sicut etiam enunciantur de homine una prædicata secundum corpus, alia, secundum animam. Et de Christo Domino una secundum Divinitatem, alia, secundum humanitatem. Hinc inspiratio efficax specificativè sumpta potest esse inefficax, & viceversa; sed non in sensu reduplicativo; numquam omittenda est hæc distinctio, donec adversarii deponant apprehensionem, quam sibi infixerunt.

CCXLVI.

CCXLVI. Secundum sit. Brevitatis gratia frequenter utimur in hac materia his terminis *liberum arbitrium*, *voluntas humana*, *libertas humana*, & similibus; sed compendia verborum, & brevitatis studium sæpissimè generant solemnes æquivocationes, & hæc verba interdum generasse jam olim notavi. Pelagiani, & Semi-Pelagiani utebantur eis verbis ad significandum solas, & præcisas vires naturæ instas, ut constat ex verbis, quæ transcribit S. Augustinus; cum autem S. Doctor illos refutans, utatur eis vocibus in hoc eodem sensu, ut debebat uti ad refutandum illos, indè fit, quod assueta mens id intelligere in verbis S. Augustini, ubi primum audiuntur illæ voces in disputationibus de gratia, aut libero arbitrio, involat protinus in apprehensionem solarum virium naturalium; & credit, aut suspicatur, quod nos dicamus totam virtutem physicè effectricem actûs salutaris v. g. aut actus moraliter honesti, sed entitative naturalis, identificari adæquatè cum sola nostra voluntate, & quod hæc ducat, seu determinet gratiam, sive etiam Omnipotentiam, sicut Pædagogus ducit puerum, aut homo equum; supposita hac imaginatione non miror quod per strepant adversarii, sed imaginatio est aliena profus à mente nostra.

CCXLVII. In materia de actibus conducentibus ad justificationem, vel loquimur de voluntate humana, ita ut hæc sola sit subjectum propositionum, vel de tota libertate activa, seu de libero ipso arbitrio, quod profectò plura alia imbibit constitutiva, quam solam potentiam volitivam; si primum, meminerint adversarii nos semper loqui in hac materia de voluntate *reduplicativè*, ut *præventæ*, ut *adjuta*, ut *elevata per interiorem DEI gratiam*; hoc est per salubrem inspirationem moventem, ut in suo genere cooperantem ad nostrum salutare velle, atquè ad nostrum simile agere, sed non irresistibiliter determinantem per se adæquatè. Sæpissimè enim divinis inspirationibus resistimus (undè sæpissimè hæc sunt merè sufficientes, sive inefficaces, quidquid Jansenistæ dicant) ut resistebant illi, quibus Stephanus exprobat. *Vos semper Spiritui sancto resistitis.* Et

illi, de quibus David. *A resistenibus dextera tua custodi me.* Et illi, de quibus quæritur Sapiencia *Vocavi, & tenuisti, &c.* Brevitatis autem gratiâ solemus omittere illa verba. *Ut præventæ*, ut *adjuta*; sed quod brevitatis ergo solemus non dicere, alii solent non intelligere, quippe id solum intelligunt, quod sonat in ore, non quod supponitur in mente. Si secundum, meminerint nos hic loqui de nostro libero arbitrio seu de nostra libertate proxima reduplicativè, *ut constituta per inspirationem dictam*, tanquam per essentiali partem sui ipsius, ita ut virtus physicè effectiva actus salutaris identificetur adæquatè, non cum sola natura, sed cum complexo ex hac, & aliqua gratia supernè concessâ. Unde operationi DEI nunquam præcedit absolute operatio voluntatis; sed operatio voluntatis nostræ reduplicativè ut *præventæ*, ut *elevatæ per Gratiam DEI*, & Gratia hac in suo genere cooperante: & neque præcedit absolute, sed conditionatè solum prævisâ; sicut præcedit quoque ut possibilis prævisâ. Quia æquè dedeceret DEUM largiri Gratiam naturalem, aut supernam, absque una, & absque altera prævisione.

CCXLVIII. Sit tertium. Frequenter dicitur. *Voluntas se determinat in actum salutarem. Determinat Gratiam, Determinat Omnipotentiam.* Quid est hoc à parte rei? Responsum insinuavi Disp. 3. Physi. Specul. num. 27. ubi adverti verbum illud *determinat* non appellare supra DEUM, quasi creatura determinet DEUM; sed supra solam illam actionem DEI, quæ indistincta est ab actione creaturæ, & quam actionem finit DEUS *ex dignatione* determinari à creatura, frequens quippe est in doctrina sacra, ut ostendi decade 4. Reg. 3. uti verbis sonantibus actum primum, sed significantibus actum secundum. Igitur si phrasas has intelligas in eo sensu, in quem confestim involat malè castigata imaginatio, non miror, quod summopere displiceant illæ adversariis. Si apprehendas voluntatem nostram, ut *præventam*, & *adjutam* inspiratione Divina infigere sibi vel Gratia, vel Omnipotentia præ priori ad suum actum salutarem immediate liberum, rem ullam corripientem, adi-

gentem, propellentem ipsam voluntatem, gratiam, vel Omnipotentiam ad actum illum efficiendum: Si hoc inquam apprehendas, apprehendes, quod in aliis casibus solent significare illa verba *determinandi*; sed non quod in presenti, cum nequè dicamus, nequè salvo honore possimus hoc dicere. Primo quia contra istam reflexam determinationem assurgeret eadem tota praesens difficultas. Secundo, quia est falsum, quod pro priori ad nostrum actum immediatè liberum, debeamus concipere actum alium: abibimus quippe in infinitum; realitas itaque hujus determinationis, & phraeon illarum sensus est,

CCXLIX. Non Gratia, non Omnipotentia, sed sola voluntas humana, ut praeventa, adjuta, & elevata per gratiam, supernam (quando sermo fuerit de actu salutari) & hac in suo genere cooperante est, quod immediatè libere concipit actum salutarem, quin gratia, aut Omnipotentia connectantur per se adaequatè metaphysicè absolutè, ac determinatè cum actu salutari, hoc non disputo modo; sed refero simpliciter nostram sententiam: quoniam hic, & non alius est sensus, quem intendunt, qui utuntur illis verbis. Quid habes, quod non sit petitio principii contra hunc sensum, contra hanc realitatem? Explicatur. Gratia, sive quae consistit in aliquo alio principio supernaturali v.g. in habitu infuso, sive quae consistit in Omnipotentia specialiter applicata: sive quae consistit in arcana Divina inspiratione, nunc dulci, quia est affectio erga bonum, nunc aspera, quia est horror mali (de qua sola specie gratiae est tota, aut praecipua disputatio Augustini contra Pelagium) quamvis possit existere, quin actu influat in bonum, interdum tamen influit actu; sed non tanquam agens necessarium, quatenus per se adaequatè connectatur essentialiter cum actu bono (haec est nostra conclusio cuius contradictorium probare, non verò supponere debetis) non item tanquam agens liberum, quia dicta inspiratio divina non est agens rationale, sed actio quaedam vitalis agentis rationalis; Similiter Omnipotentia quamvis existere possit, quin actu physicè influat

in bonum actum Petri v.g. non nunquam influit actu; sed non tanquam agens necessarium, quia nequè ipsa specificativè inspecta, nequè reduplicativè, ut applicata pro actu libero, connectitur essentialiter per se adaequatè cum actu illo bono: neque tanquam agens liberum immediatum, quippe soli actus ad intra possunt esse immediatè liberi DEO, secus actiones, & res ad extrà, quales sunt omnes actus liberi creaturarum. Rursus nequè tanquam agens liberum, *mediatum*, *efficax*, quatenus immediatè liberè concipiat actum per se adaequatè connexum essentialiter cum actu illo bono Petri, & huic penitus inevitabilem, quia licet hoc possit DEUS absolutè facere, at non conjunctim cum efficace, quod habet, decreto non flectendi creaturam irresistibiliter, & inevitabiliter in unam potius partem, quam in alteram in negotio salutis aeternae, quinimmo conservandi eam indifferenter, atque in manu sui consilii: sicut non potest DEUS occidere unam muscam conjunctim cum volitione efficace conservandi eam vivam. Sola itaque voluntas nostra, ut adjuta, praeventa, & elevata per gratiam DEI, & hac in suo genere cooperante, est quae concipere dicitur à nobis ex Divina concessione immediatè liberè salutarem volitionem; atqui in hoc solo stat physicè à parte rei, quod determinet se, Omnipotentiam, & Gratiam, seu ut potius dicendum reor, in hoc solo stat, quod determinet operationem Omnipotentiae, ac Gratiae, quae operatio est una indivisè cum operatione ipsius voluntatis; Ergo. In toto hoc discursu quid potest displicere viris Jansenistis contra quorum sensum nunc praecisè ago, nisi exclusio irresistibilitatis identificatae adaequatè cum sola entitate inspirationis, in quam exclusionem toti incumbimus nos conservandi ergo libertatem indifferentiae, quam illi negant, quamque DEUS nobis donavit, quia voluit? Ea exclusio est prima nostra conclusio: Undè fit, quod redimus ad caput, & quod phrasae illae (quas sine explicatione non omninò probarem propter aequivocationes, quas experimur) *Voluntas determinat seipsam, determinat Gratiam, determinat Omnipotentiam;*

Tan-

Tandem tandem nil aliud significant, quam solam voluntatem humanam, ut Divinitus præventam, & adjutam, esse id, quod immediatè liberè concipit, ac producit in se tanquam actum immanentem, & vitalem, volitionem salutarem: nilquè aliud immediatè liberè, aut mediatè liberè per medium irresistibile, ac simul inevitabile creaturæ, producere volitionem illam, aut esse per se adæquatè connexum essentialiter cum ea. Ubinam docuerunt contrarium scriptura, vel Augustinus?

. CCL. Hoc tam dedecet Gratiam, & Omnipotentiam, quam dedecet dicere, quod licet Omnipotentia, Gratiæ, & voluntas humana concurrant ad actum salutarem; sola tamen voluntas est, quæ vivit, quæ recipit in se actum illum, quæ meretur, quæ amat, quæ odit actu illo, & ei soli imputatur ille ad præmium; Cum ergo realitas præfate determinationis, sensusquè illarum locutionum in hoc uno consistat, quod nequè inspiratio Divina, nequè Omnipotentia, nequè quidquam aliud, sed sola voluntas humana præventæ, & adjunctæ per Divinam gratiam, & hac in suo genere physico, aut morali prout volueris, cooperante, concipiat immediatè liberè actum salutarem: & cum hoc negari à scriptura, vel ab Augustino viri illi non probent; indè est, quod non probent quidquam contrà realitatem illius determinationis, aut contrà legitimum sensum phraseon illarum; quidquid sit de primo earundem cortice. Meritò scripsit sanctus iste Doctor. *Pauca sunt enim, quæ propriè loquimur, (id est sinè figurato stylo) plura non propriè: sed agnoscitur, quid velimus.* Pro illis tamen, qui tardiores sunt ad intelligendum res alienas, quas nihilominus averfantur, distinguendæ sunt hæ, ac similes propositiones, nec concedendæ absolute. *DEUS concurrit determinatus à creatura; Omnipotentia, & gratia concurrunt ex determinatione creaturæ, &c.* Distinguo. Determinatione positiva consistente in eo, quod creatura DEO, Omnipotentia, aut gratia infigat præ priori ad suum exercitium rem ullam connexam essentialiter cum eo concursu, nego: propter rationem paulo antè datam, & pro-

pter indignitatem rei ipsius (quia autem id est, quod vulgo apprehendimus, quando audimus unum operari ex determinatione alterius, idcirco propositiones istæ prout jacent, aliæquè similes, non sunt concedendæ absolute) determinatione negativa in hoc uno consistente, quod sola creatura, non verò gratia, aut Omnipotentia sit, quæ ex DEI concessione concipit immediatè liberè actum salutarem absquè ullo alieno impulsu, sive gratiæ, sive Omnipotentia, qui impulsus sit irresistibilis sibi, & simul inevitabilis in sensu Janseniano, concedo. Quid habetis contra hoc ex Scriptura, vel ex Augustino? Num gratia, num Omnipotentia, num DEUS possunt concipere immediatè liberè actum humanum salutarem? num gratia, num medium aliquod immediatè liberè conceptum à DEO, est per se adæquatè essentialiter connexum in sensu vestro cum eo actu salutari? hoc est vobis probandum, sed hoc nusquam docuit Scriptura, vel Augustinus.

CCLI. Explicatur ulterius. Indifferentia Omnipotentia, inspirationis, & voluntatis, dupliciter considerari potest. Primo, secundum *positivum*, & sic consistit in intrinseca capacitate, quam tria dicta habent ad influendum, & non influendum respectivè in actum salutarem: & cum hæc capacitas sit essentialis his tribus, indè est, quod indifferentia secundum positivum, nec aufertur, nec est auferibilis per positionem actus. Secundo, secundum *negativum*. Et sic consistit in eo, quod actus non existat, existantque illa, capacia ex se influendi in actum. Et hoc negativum est, quod in sensu dicto aufertur à voluntate creatæ cooperante gratiâ: Quid mirum, cum voluntas sola vivat, & mereatur actu illo?

CAPUT XIV.

*Aliquibus Illationibus, aliqua
Questiones solvuntur.*

CCLII. **E**X dictis in tota hac disputatione infertur primò. Chimæricum omnino esse casum, quem decipiendi ergo aliqui comminiscuntur; videlicet posse DEUM conferre libertatem